



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

I. Licet causa sub certa forma terminanda sit commissa, nihilo minus rationabiliter exceptio est admittenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

DE EXCEPTIONIBVS.

C A P. I. *Idem eidem.*ANNO
CHRISTI
1173.

Ex parte fraternitatis tuæ fuit nobis requisitum , vtrum cum aliquam causam sub certa forma committimus , iudices delegati ita formam sibi commissam sequi debeant , vt rationabiles exceptiones non admittantur : super quo itaque tuæ prudentiæ taliter respondemus , quod si quandoque iudici expediat formam institutam seruare , debet tamen rationabiles exceptiones admittere , & in causa secundum iuris æquitatem procedere , nisi exprimatur in literis nostris , quod nullæ debeat exceptiones admetti : quod nec nos , nec aliquem prædecessorum nostrorum credimus expressisse .

Exceptionem inducunt , vis , metus , dolus , res litigiosa , transactio , pactio , expressa & tacita , iuratio , iudicatio , error , tempus , forum , fauor , odium , ætas , sexus , & similia . Exceptionum alia prima , alia secunda : Prima stat in generali nomine , & datur reo : Secunda transit in speciale nomen , & dicitur replicatio . Est autem replicatio exceptionis resolutio , quæ datur auctori . Sed cum deinceps vtrinque multiplicantur exceptiones , earum nomina sunt , duplicatio , triplicatio .

C A P. II. *Idem abbatii S. Albani , & abbatii * Leicestriæ.*

Dilecti filii nostri , abbas & fratres monasterii sancti * E- • Ebresi
bessi , nobis transmissa insinuatione monstrauerunt , quod • Ebroulli
cum A. clericus super ecclesia de Alitun , quæ ad prædictum monasterium pertinere dicitur , eis quæstionem mouisset , tacita veritate , non contra eos , sed contra quemdam vicarium , quem in eadem ecclesia constituerunt , ad venerabilem fratrem nostrum VVigornensem episcopum literas impetravit . Cum autem idem episcopus prædictum vicarium vna cum eodem A. ante præsentiam suam conuocasset , vicarius ipse ac prior dicti monasterii , qui casu ad partes illas accesserat , memorato episcopo dixerat , quod idem vicarius super prædicta ecclesia conueniens non erat , cum eam non suo nomine , sed abbatis possideret ,